

Q. K.  
4152.

X 1876207

II i  
3176

C. B. D.  
De

# CATECHIZA- TIONE VETERUM,

maximè

Ex Antiquitate Ecclesiasticâ & Theo-  
logiâ Catecheticâ,  
PRÆSIDE

VIRO

Summè Reverendo, Magnifico, Amplissimo atque  
Excellentissimo,

DN. MICHAELE WALHERO,  
S. THEOL. D. PROFESS. PUBL. CE-  
LEBERRIMO, ET ALUMN. ELECTOR.

EPHORO GRAVISSIMO,

In Acroaterio Theologico,  
Ad Diem III. Mensis Februarii, An. cl. Iuc LXXXVIII

publicè differet

M. JOHÁN. SIGISMUNDUS Starck/

Misenensis.

\*\*\*\*\*  
WITTENBERGÆ,  
Literis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.



C. B. D.  
AGATHA  
MURERIA

Exaudiens Ecclesiasticorum  
Logia Catechetica  
PRAESENTE  
VIRIO

DNI MICHAELI VASHERO  
S. HEOLD. PROFESSORI  
LEBRIMO ET ALMI DIRECTORI  
EUCHORO GR. T. ASSO

AD. M. AG. 17. 17. 17. 17. 17. 17. 17.

M. IOHAN. SIGISMUNDUS GEMMELL

M. MICHAELUS

PIETATIS

PICTUS ORNATAKIS EMBOSCH

Schæc animo meo subinde in-

hæsit opinio, curiosis utilia præferenda esse in Disciplinis quibusvis. Eò valuit sententia, ut præsentem de CATECHIZATIONE, quā titulus præfert, materiam, specimen Theologicum ubi edendum fuit, selegerim. Evidem cum universum ferè Eruditorum Orbem hodiè ad arma vocaverit *D. Molinas* quidam, per Orationem della Quietè (ut barbarè vocat,) aut de purâ fide internâ, (renon minus barbaræ,) parum abfuit quin in portentosa & protus absurdâ hæresi, quam QUIETISMUM vocitant, examinandâ stylum occuparem. Mutavitamen sententiam, ubi in mentem venit recordari illud Ἰερότερον Apostolici: οὐ γὰρ μοι καὶ τὸ εἶδος κείνει; (I. Cor. V. 12.) Nimirum domestica nobis magis curæ cordiq; esse debent, quām τὸ εἶδος. Cum igitur, famâ hactenus ita ferente, in Comitiis nostris Provincialibus, inter Curas publicas CATECHIZATIONI quoq;, sive, quā rationem, ordinem ac modum, sive quā diligentiorem træstationem, locus fuerit datus, in primis placuit isthoc argumentum, ac eo quidem consilio, non ut anser olores interstreperem, (neque enim mihi adeò suffenus sum) sed ut ingenii vires in Antiquitate Ecclesiastica, cuius Cura Ἰεροφίαι Cultori non ultima esse debet, periclitarer, atque adeò Mæcenatibus Studia mea, Lectori autem benevolo industria probarem. Audaciam si quis mihi exprobrare velit ac ætatem juvenilem, secum cogitet velim illud Ascræi senis: *πολλάκι ναὶ καπνῷς αὐγὴ παῖδα ναὶ πονεῖται.* Fortes fortuna adjuvat. Nostros Conatus adjuvet immortale Numen!

A

§. I. De

**D**E CATECHIZATIONE Commentaturis & vox ipsa vindicanda, & ejus notio prælibanda est. Esi enim dictio ad palatum amasiorum Ciceronis forte non sit, quin etiam venustior paulo, aut saltem magis placens substitui potuisset, nostram tamen excusabit & inscriptionis facilitas, quæ rotundam requirit dictionem, & argumenti Ecclesiastici ratio, quæ dictione sui generis contenta est. *Katīχησιν* vocant Scriptores Græci. Vocis autem *κατηχίσεως* si species Etymon, δύο τις *κατηχέν* deducuntur, cujus significatio, uti est vel *Civilis* vel *Theologica* & *Scripturaræ congrua*; ita & vel *profano* vel *Ecclesiastico* stylo diversimodè significat. Priori modo *κατηχέν* propriè est resonare, δύο τις ἡχεῖς, à *sano*; vel δύο τις ἡχεῖς, quam Ebræi *בְּנֵי Φָלִילָה* vocant *לֹקֶת*, filiam vocis, q. d. vocem ab aliâ genitam. Quemadmodum enim in echo una vox his aut ter auditur; ita quoque in tali informatione eadem vox auditur ex docente pariter & discente. Ethoc modo *κατηχέν* generaliter significat *viva voce erudire*, ita ut is, qui docet, rem auribus alterius insonet. Ita apud Lucianum, Scriptorem *αποκαλεστον*: Εμὲ δὲ παρέδωκεν ἀπελευθέρων τινῶν σαυτὸν μετασκοπον, καὶ τις *κατηχέν* οὐδὲ ποιῶν μάλιστα, ψυχαγωγὸν αὐτὸν δυραιουν. Estq; *κατηχέν* ita *vace erudire*, ut ea scripto committere nolis, observante Erasmo super Præfat. Luca, p. 152. qui paulò ante monuerat, familiare fuisse priscis illis Theologis apud Ægyptios, & apud Gallos, Druidis, Gymnosophistis quodq; apud Indos, Sacrorū suorum mysteria viva voce tradere, non scriptō. Horum referendū censemus illud Hieron. Epist. ad Pammach. *Symbolum non scribitur in charta, sed in tabulis Cordis Carnalibus!* *κατηχήσει* autē idem quod audire aliquid ex aliorum sermone, ut ipse eruditus reddat interrogatus tandem responsum, Germanicè: einen mündlichen Bericht ertheilen!

theilen / interprete Brentio; Posteriori autem modo & specialiter notat andire ex aliorum Sermone aliquid, quod ad mysteria salutis pertinet. Et latius quidem idem est, quod instituere in cognitione mysteriorum Religionis, quò pertinent loca Rom. II. 18. κατηχόμενος ἐκ τοῦ νόμου, Vulgata: instru-  
itus per legem, Beza: instructus ex lege. I. Cor. XIV. 19. οὐα-  
γὴ ἄλλος κατηχήσω, ut & alios instruam. Gal. VI. 6. κοινωνία  
δὲ ὁ κατηχόμενος τὸν λόγον τῷ κατηχόντι, Communicet autem,  
qui instituitur in sermone, ei qui instituit, ubi Oecumenius  
p. 108. Edit. Veron. κατηχόμενος exponit per διδάσκομενος,  
Theodoreto autem ad h. l. est μαθηπούμενος, sicut κατηχώ,  
est διδάσκαλος; strictius verò pro instituere viva voce in  
cognitione primorum capitum fidei seu doctrinæ Christianæ,  
quò referri potest Act. XVIII. 25. de Apollo, quod fuerit  
κατηχημένος τὸν ὄδον τοῦ κυρίου, edocitus viam Domini. Illustra-  
tri potest è profanis hæc notio, siquidem etiam Platonicis  
κατηχησις est institutio ea, quâ prima scientiæ alicujus rudi-  
menta traduntur. Ita enim Porphyrius in princ. Qvæst.  
Homer. Ήμεῖς δὲ ἐν παιδικῆς κατηχήσεως περινούμενοι ὡς  
τοῖς πλείσοις, οὐ νοῦμεν.

## §. II.

Efferri autem solet hic Catechizationis actus variè a-  
pud Scriptores Sacros pariter & Ecclesiasticos. Ipse geo-  
gr̄t̄wē Paulus φερόμενος per διδάσκειν τὰ σοιχεῖα τῆς αἰχνῆς τῶν  
λογίων τοῦ Ιησοῦ, prima Christianæ Religionis elementa vivavo-  
ce tradere, & quasi insusurrare, ita, ut à discente reddatur ra-  
tio eorum, quæ edocitus est, Ebr. V. 12. Apud Scriptores Ec-  
clesiasticos exprimitur per γεννᾷν Διὸς τῆς αἰληθεῖς κατηχήσεως,  
à Clemente Alex. L. III. Stromat. loco infra §. XIII. à nobis  
adducendo; item per γαλακτοφερόμενον, in Constitut. Aposto-  
lic. L. II. c. 33. p. 859. Edit. Paris. in fol. metaphorā petitā  
παιδίοις γαλακτοφερόμενοις, infantibus qui lacte aluntur, ut

A 2

Chry-

Chrysostomus vocat. Monent enim illæ, Spirituales Parentes esse honorandos, qui Spiritu S. repleverint, τὰς τῷ λόγῳ γαλακτοφόρους, qui verbo velut lacte nutriverint. Et Felix Pontifex Rom. Petrum Fullonem in Epist. ad eum, quæ exstat apud Zonaram in **Canones Concilior.** p. 540. Edit. Paris, in octavo ita alloquitur: **Quos Ecclesia aluit, quos** nutricata est, quos ad mensuram staturæ traduxit, γαλακτοφόρους φημοῖς καὶ αποδικοῖς δόγμασι, propheticis & apostolicis dogmatibus eos quasi lacte nutriendo, hos tu uno momento veneno necasti. Oppositum ejus est διπογαλακτίειν, à lacte (Catechetico puta) depellere: quam in rem egregius succurrerit locus ex Basilio M. Homil. XIII. quæ est exhortatio ad Baptismum: Ecclesia alumnos suos clara voce convocat, ut quos olim parturivit, pariat καὶ διπογαλακτίους αὐτὸς τῶν λόγων τῆς κατηχήσεως, γένους τῆς σερεᾶς τῶν δογμάτων τροφῆς, & à primò Catechesēos sermone tanquam lacte depulsis, solidarum dogmatum cibum præbeat degustandum. Præterea institutionem Catecheticam designant per munitionem, quo spectat titulus L. VII. Constitut. Apostolic. πολιτείας καὶ εὐχαριστίας καὶ τῆς Καριστὸν μυήσεως de vivendiratione, gubernatione & institutione Catechetica, quæ est secundum Christum. Initiationem aliás vocant.

§. III.

Est itaque, ut recepto in Scholis ordini porrò insistamus, natiūnū sive Catechizatio familiaris per viam vocem facta institutio in elementis Christianæ religionis. Hoc sensu omnes scriptores veteris & præsentis Ecclesiæ vocabulum hoc temper intellexerunt, & etiamnum hodiè intelligunt. Audiamus juniores. Chytræo Catechesis in genere significat formam institutionis, in qua viva voce auditōibus initia alicuius doctrinæ in certos locos methodicè distributa traduntur, & auditores ea, quæ ipsis tradita sunt,

sunt, & quæ didicerunt, vicissim reddere & recitare coguntur. Philippus Melanchthon in illud I. Tim. IV. esto assiduus in lectione & doctrina ita commentatur: *Doctrina est hoc, quod usitatè nominamus Catechesin, i.e. summa dogmatum, recitans Articulos fidei, descriptionem Peccati, discrimen Legis & Evangelii, usum Sacramentorum, discrimen Justitiae æternæ, & vitæ politicæ, sumta ex ipsâ voce divinâ, quæ prius legitur.* Et hæc ipsa **CATECHESIS** est interpretatio **LECTIONIS**, seu longa seu brevis. Cum enim in discendo necesse sit, integrum corpus doctrinæ mente complecti; **RUDIORIBUS** tradendæ sunt ordine breves summa principia dictorum, &c. Cum igitur opus sit **FORMA** aliquâ in docendo, &c. hanc formam, hanc doctrinam nominat, quæ est **CATECHESIS** seu brevis seu longa: quæ quidem & ipsa librorum sacrorum interpretatio est, quia inde sumenda est **CATECHESIS**, & testimonia ibi monstranda sunt.

S. IV.

Initia autem *τῆς κατηχήσεως* non nova, sed multis retrò seculis cognita fuere, non enim à nostris avi Doctoribus est Catechizatio inventa, sed jām sanctorum Patrum tempore, à mundi origine ad diluvium, & à diluvio iterum ad Mosen usque, (qui divina oracula primum scriptis complexus est,) in usu fuit. Aedes enim eorum & domus quid aliud fuerunt, quam Scholæ, in quibus doctrinam de Deo, de Creatione, Imagine Dei, Lapsu seu Peccato & pœnis illius, de promissione Seminis, adeoque Fœdere Dei gratuito, de Cruce & Calamitatibus Ecclesiæ, de Sacrificiis & Cultu Dei &c. liberis suis & nepotibus, quos longa serie numerarunt, orali & Catechetica institutione inculcarunt & repetierunt? Præterea vero istam rudiorum, non puorum tantum, sed adultorum etiam, ab Ethnicismo vel Judaismo ad Christianismum transeuntium, Catechizationem in

Ecclesiæ N. T. [primordiis usitata] fuisse, vel inde manifestum est, qvod Catechesis Apostolorum, illiusque capita præcipua, Ebr. VI. 1. his verbis expressè, recitantur: Διὸς ἀρχέτορὸς τῆς αἱρῆσης τῷ χριστῷ λόγῳ, οἵτινες πελοπότητα Φερῶμεθα, μὴ πάλιν θεωρέλιον μεταβαλλόμενοι μετανόεις δότο νεκρῶν ψηγῶν, ηγετή πίστεως οὗτον θεόν, Βαπτισμῶν διδαχῆς, οἵτινες τε χριστοῦ, αναστάσεως τῶν νεκρῶν, ηγετή κείματος αἰωνίου. Et quis quæso D. Paulus? annon Catechista? I. Cor. XIV. 19. Qvis Apollo? annon Catechumenus? Act. XVIII. 25. quid sibi volunt verba Autoris Epistolæ ad Ebræos: Vos, quos oportuit pro temporis ratione Doctores esse, rursus opus est doceri τὰ σοιχεῖα τῆς αἱρῆσης τῶν λογιών τῷ Χριστῷ, elementa initii eloq̄viorum Dei? Ebr. V. 12. Annon exprobrat illis segnitiem, quā laborabant, in tantum, ut cum jām alios de Christianismū professione instituere debuissent, illis vix bolus scientiæ suppetat, adeoque Catechetica sub manus revocare, & prima religionis Christianæ rudimenta ipsos edoceri necesse haberent? Quā exprobatione nequaquam opus fuisset, si Catecheticis exercitiis anteā non fuissent iniciati. Hanc consuetudinem primitiva Ecclesia post Apostolorum tempora continuans, isti muneri destinatos aluit, & hōc ceu progymnasmate quodam, ad majores gradus & functiones in Ecclesia illos præparavit. Inter quos in primis illustres fuerunt Pantænus, quem Clemens Stromat. L. I. ab Apostolis omnia didicisse testatur; idem Clemens Alexandrinus ipse, Pantæni successor; Clementis discipulus Origenes, cum decimum octavum ætatis annum ageret, sectæ Catechisticæ apud Alexandriam & ipse præfuit, annotantibus Hieronymo in Catalogo Scriptorum, & Eusebio, L. VI. Hist. Eccles. c. III. XIV. XV. qui addunt, tanto numero à mane ad vesperam usque ad scholam Origenis Catecheticam confluxisse τὸς κατηχουμένος, ut coactus ille fuerit, ad sub-

lca



levandas labores sibi adjungere Heraclam, (tunc Presbyterum, postea Episcopum Ecclesiae Alexandrinæ) cui etiam tandem Alexandriæ Cæsaream abiens, Catechizandi munus tradidit, teste iterum Eusebio L.D.c. XXVI. Porro & Dionysius Alexandriae urbis Episcopus, sub Heraclia scholam κατηχήσων Presbyter tenuit, Origenis valde insignis auditor, attestante Hieronymo. Nec non Optatus Milevitanus in Carthaginensi, Damascenus in Damascenâ: Cyrillus in Hierosolymitana Ecclesia, & alii vetustiores adhuc, de quibus Eusebius L. VII. Hist. Eccl. c. IX. X. & L. VI. c. III. XIV. qui omnes ob merita reportarunt laudem magnorum Ecclesiæ luminum. Ferè præterieram Præfulem Hipponeum, B. Augustinum, qui jamdum Episcopus Librum de Catechizandis rudibus prescripsit ad Diaconum Ecclesiæ Carthaginensis, Deo gratias. Habetur is hodienum Tom. IV. Opp. ejus, atque ita ordinatur: Petis à me, frater Deo gratias, ut aliquid ad te de catechizandis rudibus, quod tibi usui esset, scriberem. Dixisti enim, quod apud Carthaginem, ubi Diaconus es, ad te sapè adducantur, qui fide Christiana primus imbuendi sint. -- Ego vero, non eà tantum, quam familiariter tibi, sed etiam quam matri Ecclesiæ universaliter debeo, charitate ac servitute Compellor, si quid per operam meam, quam Domini nostri largitate possum exhibere, idem eos Dominus quos mihi fratres fecit adjuvari jubet, nullo modo recusare; sed potius prompta & devota voluntate suscipere. Quanto enim cupio latius erogare pecuniam Dominicam, tanto magis me oportet, si quam dispensatores Conservos meos difficultatem in erogando sentire cognosco, agere quantum in me est, ut facile atque expedite possint, quod impigrè ac studiosè volunt. Nec omittendus Job. Gerson, Academiæ Parisiensis Cancellerius, Carolique, Francorum, Regis ad Synodum Constant. Legatus, (quem virum ingentis

gentis doctrinæ & pietatis vocat Ant. Possevinus; Theologie  
Scholastica peritisimum, Poëtam & Oratorem suo tempore  
insignem, Sixtus Senensis laudat,) non gravatus fuerit, li-  
brum de pueris ad Christum trahendis edere, in quod hæc  
habetur, inter alia, pia admodum πειθαρητικός : Usque quo,  
parvuli, diligitis infantiam? ad quid diligitis vanitatem?  
& queritis mendacium? venite fiderent! nullæ viarum insi-  
die, nullus latet anguis in herba. Communicabimus mutua  
bona spiritualia: quia temporalia vestra nulla requiro. E-  
go vobis doctrinam, vos mibi orationem impenditis: imo  
orabimus pro invicem ut salvemur.

§. V.

Non minus autem necessaria, quam antiqua est Catechiza-  
tionis opera, ac in tantum quidem, ut sine periculo animarum  
tum Pastorum quam auditorum omitti, aut saltem negligen-  
ter tractari, nequeat. Unde enim tot haereses & nova dogma-  
ta locum passim inveniunt? Unde tanta in rebus ad salu-  
tem necessariis inscitia? Unde enormis adeo in vita Com-  
muni barbaries & ασωλία? Aut valde fallor, aut verum est,  
in causa esse Catechizationis neglectum. Ubi namque so-  
lida pietatis fundamenta jacta non sunt, fieri non potest,  
quoniam populus quolibet doctrinæ vento huc illuc agitetur, ac  
in gravia prolabatur flagitia atque scelera. Cujus rei te-  
stimonium producit Iustus Conscientissimus Job. Brunne-  
mannus in Jure Ecclesiastic. L.I. c. VI. m. 5. p. 119. de duo-  
bus adolescentibus abigeis, altero quindecim, altero trede-  
cim circiter annorum, qui rerum divinarum adeo imperiti  
fuerint, ut nihil quidquam sive de Deo, sive de Salute scive-  
rint, & vix Orationem Dominicam, & ne hanc quidem si-  
ne errore, saltem sine omni intellectu, recitare potuerint.  
Idem alibi m. i. p. 117. exemplum adferit de Sodomita quo-  
dam, viginti tres annos nato, qui Deum obtestatus fuerit,

sc



ie nescivisse, crimen esse factum suum; quam, crassissimam  
licet, ignorantiam non semel in Actis legerit allegatam.  
Quid respondebunt (sunt verba jām laudati Brunnenmanni)  
Pastores Ecclesiarum nonnulli supremo Archi-Pastori, qui ne-  
glectā Catechizatione tot animas misere perire sinunt? l. d.  
p. 199. Novimus B. Lutherum adeò severè eam exigere, ut  
Doctores eos, qui in doctrina Catechetica urgenda somno-  
lenti sint, aut etiam obdormiscant, nequaquam ferendos esse  
censeat. Qvod si enim Lutherus sub ipsa statim feliciter  
à se institutæ reformationis initia & deinceps semper, se-  
pultam hactenus Catechizationem magno zelo urgens, in  
superiorum temporum Episcopos, qvod exercitium adeò ne-  
cessarium negligissent, acriter invectus est; quanto magis  
& hodiè in omnes invehernetur Pastores, qui cum vestigia-  
tanti Ducis premere debeant, hanc tamen munera sui par-  
tem tam frigide & negligenter obeunt? Num verò diver-  
sunt statuisse ipsum credamus de Catechumenis, hujus ri-  
gidioris disciplinæ & tædiosi laboris in discendo impatiens  
tibus? Profecto, si quid jus, si quid ratio hic valet, propter  
quam causam Pastor eliminandus; eadem si auditor labo-  
ret, pro eo habendum esse, qui Christum neget, ac propte-  
rea indignum, qui ad S. Cœnam, ad sponsionem in Baptis-  
mo, ad ullam partem munera Christiani admittatur, imo  
esse excommunicandum, & ē cœtu Ecclesiæ exterminan-  
dum statuit. Age verò de necessitate Catechizationis, ex  
parte auditorum, Cyrillum Hierosolymitanum audiamus,  
Proém. Catechesium suarum: Festinent pedes tui ad Cate-  
cheses audiendas. Accipe hanc admonitionem, ut ea, quam in  
Catechesibus traduntur, sic discas, quo possis ea in perpetuum.  
Non existimes, institutiones istas esse similes homiliis, quam-  
vis & ha bone sint & fide dignæ. Persevera in Catechesi-  
bus, etiamsi sermonem in longum produxerimus. Neq; verò

B

mirum,

mirum, ex capite necessitatis ursisse opus hoc juniores pa-  
riter & Patres, cum Servatorem ipsum autorem habeat,  
quippe à quod Catechizatio præcepta, quando baptismum in-  
stituit & suos discipulos jussit omnes gentes docere & μα-  
γητεῖσαι, discipulos sibi facere: Qvod Christi præceptum  
Basilius M. I. I. c. I. de Bapt. per totum urget & explicat.  
Eo referunt etiam mandatum pascendi agnos Petro datum,  
Joh. XXI. 15. vi cuius etiam infantes & impuberis cognitio-  
ne articulorum fidei sunt imbuendi.

§. VI.

Eo magis autem urgendum hoc opus, quod major ex  
Catechetica institutione in Ecclesiam redundat fructus.  
Nec enim aliâ quâcunqve viâ apud ignarum vulgus magis  
promovetur Christianismus, quam hâc instituendi formâ.  
Id quod rectissimè attenderunt anno seculi hujus decimo  
octavo Theologi (Reformati) in Synodo Nationali Dor-  
drechtana, quorum prima ferè cura erat doctrina Cateche-  
tica: Ita namque legimus in Actis, Sess. XIV. Cum insti-  
tutionis Catechetica in primis Religionis Christianae funda-  
mentis summa sit in Ecclesiis tum utilitas, tum necessitas: --  
statutum fuit, articulum hunc in primis esse renovandum, in  
omnibusq; Pastoribus, non tantum in urbibus, sed & in omni-  
bus pagis, serio, & sub gravi censurâ Ecclesiastica pœnâ man-  
dandum esse, ut diebus dominicis post meridiem semper ha-  
beant Conciones Catecheticas. -- Cum vero conquerantur Ec-  
clesiae, atque ipsa testetur experientia, hanc doctrinæ Cate-  
chetica explicationem in Ecclesiis nostris hactenus usitatam,  
qua publicè in templis è Cathedra instituitur, non sufficere  
ad rudem juventutem in primis Religionis Christianæ fun-  
damentis pro ipsorum captu commode imbuendam, neque ad  
ignorantiam ab imperita plebe satis commode tollendam,  
rogata

rogata fuit tota Synodus, ut serio de commoda ratione cogitaret quæ insuper ad juniores atq; adultiores, qui nondum in cognitione Religionis Christianæ satis profecissent, accuratius instituendos adbiberi posset. Cum autem commodior excogitari ratio minus queat, unanimiter introductionem hujus κατηχήσεως exercitii etiam extra Conciones Catecheticas decreverunt. Agnovit Catechizationis commodum. Beatus Rhenanus, atque adeò extulit, ut illam Concionibus quibusvis Catecheticis anteposuerit. Ita enim in L. Tertul. de Pœnitentia præfatus: *Ibi, inquit, horula spatio plus proficit Laicus, quam triduana Concione.* Nam dum è suggestu declamat Sacerdos, per pauci diligenter auscultant, multi aliossum Cogitando distrahabuntur, quidam, juxta proverbium: ἄνοι λύγεις, vel propter obtusitatem ingenii, vel ob materię sublimitatem, cuius non sunt capaces, etiamsi curiosè auscultent, non tamen percipiunt, quod dicitur. At hic, cum rei ipsius, tum Sacerdotis reverentia attentum reddit hominem: Et doctrina, quam illic cum petente Communicat, ad ejus captum attemperatur. Quod si in ludis literariis frustra Preceptor Scholasticis prælegit, nisi illud idem paulo post ab eis exigat, Et, ut reddant, cogat; haud aliter, quantumcunque publicis Concionibus instituatur populus, nisi isto pacto examinetur, longè minus proficien̄ auditores. Hactenus ille. Nec abnuunt Theologi Bremenses in synodo modo citatā, quibus Catechetica Institutio est fundamentum, edificationis Ecclesiastica, quā omnes ad Conciones intelligenter & fructuose audiendas preparantur; itemque Embdani, qui Catechizand rationem & officii spiritualis basin Et fundamentum vocant.

### §. VII.

Quā serio autem vel ipsi Adversarii negotium hoc Catecheticum tractent, experientiā constat. Gloriantur

Bz

de

de suo Catechismo Romano, Pontificii, de suo Heidelbergensi, Calviniani; de suo Rackoviensi Neo-Photiniani, vel Socinistæ. Et qvotusquisque est qvem fugiat, Reformatos adhibito uno aut altero de Bresbyterio & Urbium præfectis, sive Curatoribus, in singulas suorum domos, qvot annis penetrare, ut interrogando examinandoqve de profectu auditorum in fide & moribus bonis fiant certiores? Quid dicam de Pontificiis modernis? Etsi enim apud eos ante Lutheranam Reformationem sepulta jacuerit penitus Catechizatio, sic ut ipse Valerianus M. Capucinus ille celebris, in Judicio defenso de Regula credendi Acatholicorum scribere non dubitet: *Fuerat ea tempestate Catechismus Christianæ plebi rarus, ignorantia frequentior, hodiè tamen multò acrius illud saxum volvunt.* Neqve enim Jesuitis ad quoslibet mundi angulos, etiam remotissimos, excurrere est grave, ut suæ, quam proflentur doctrinæ rudimenta studio indefesso ac labore assiduo aliis instillent, ut non immerito quis per *maeodiar Horatianam* in eos usurpaverit illud Servatoris de Pharisæis Matt. XXIII, 15.

*Impiger extremos Jesuita excurrit ad Indos,  
Per mare discipulum quærens, per saxa, per ignes,  
Inventumq; facit se duplo deteriorem.*  
Videatur eam in rem Liber, qui inscribitur: *Ratio atq; institutio Studiorum Societatis Jesu*, autoritate VII. Congregationis generalis aucta, Edit. Antverp. anno 1635. p. 105. Bl. 137. 142. 147. 158. Qvod si itaqve Heterodoxi tam sedulo ac serio Catechizationem exercent, quid nō orthodoxus ac fidelis Pastor, cui pro omnibus sibi commissis ratio erit reddenda, omnem moveat lapidem, ut negotium hoc πέντε λαζίς promoteatur?

S. VIII

§. VII.

Atque hi ipsi sunt, quibus Catechizationis cura vel maximè incumbit. *Cui enim, quæso te, agnorum pastio mandata?* Nonne Petro & successoribus? Joh. XXI.15. *Qui bus* τὸ μαγητεῖον injunctum? Nonne Apostolis eorumque seqvacibus? Matt. XXVIII.19. *Ovo nomine etiam audiunt παιδαγωγοὶ τὸ χριστόν*, I. Cor. IV. 15. κατηχεῖται, Gal. VI. 6. & ipsa eorum actio ἐπερώτημα I. Pet. III. 21. appellatur, ex qua rationem quærendi & respondendi in Baptismo infantum nostrarum ab adultorum Catechizatione profectum superesse quidam volunt, vid. Agenda Ecclesiastica Stiriae p. 2096. Et quō jure quæso Curatores animarum nominari aut esse poterunt, si hanc primam & præcipuam sui munēris partem in lacte infantibus Ecclesiæ præbendo & instillando neglexerint? ut proinde graviter impudentes ac oscitantes esse oporteat illos Ecclesiæ Ministros, qui munus hoc tam necessarium interdum declinare conantur, quorum exceptiones ordine recenset atq; optimè diluit Gisbertus Voëtius in Polit. Eccles. Part. I. L. II. Tr. 3. c. i. §. 3. in quo capite integrum Catechizationis argumentum concinnè satis exponit, qui omnino hic conferendus atque legendus erit. Suarum istud negotii partium olim in veteri Ecclesia esse credebant consueti Ecclesiarum ministri, puta Episcopi, Presbyteri, Diaconi. *Episcopi* ut erat Gregorius Nazianzenus, cuius Oratio XL. in eo tota est, ut Catechumenos instruat, & impellat ad suscipiendum Baptismum; *Gregorius Nyssenus Episcopus* scripsit Catecheticum majorem, quem non immerito pernum Christiana scientia refertissimum dixeris; *Cyrilli, Episcopi Hierosolymitani* Catecheses illuminatorum & Mystagogicæ in vulgus notæ sunt. *Augustinus adhuc Presbyter* scripsit de fide & symbolo, in gratiam Catechumenorum. Schola Alexandrina jàm inde à Marco usq; ad hoc seculum,

(quartum dico,) & tempora Hieronymi, habuit Magistros  
καπικήσεων Presbyteros. Cyrillus adhuc Diaconus præfe-  
ctus est erudiendis Catechumenis, & putatur à nonnullis  
Diaconus adhuc Catecheses suas scripsisse. Confer ex ve-  
tustioribus Dionysium Areop. c. VI. Eccles. Hier. f. 329. ubi  
officium & objecta Diaconorum prolixè exponit ; sicut &  
c. V. præced. fecerat, nempe in eò sicut, ut circa Catechume-  
nos informandos & instruendos essent occupati. Elegan-  
ter autem describit, quod à Ministris seu Diaconis Catechu-  
menus τοῖς μαθητοῖς λογίοις ὁρέσ ζωληπήν ἀπότεξιν μοεΦῆται  
τεκαὶ Διαπλάθεται, ad vitalem partum verbis obstetrican-  
tibus formetur & effingatur. Ex recentioribus Cellotium,  
Hierarch. L. VI. c. 25. Atq; hinc tam celebre καπικήστων ἡ κα-  
πικήστων nomen in primitivâ Ecclesiâ, de Ministris Ecclesiæ,  
quia sc. Catechetica præcepta tradebant, Catechismum ore-  
tenus docebant, & vivâ voce ad ungvem à discipulis sive au-  
ditoribus suis exigebant ; qvos Hieronymus L. de Scriptor.  
Eccles. in Clemente Alex. καπικήσεως Magistros nominat; A-  
thanasius autem Orat. III. adversus Ariani. f. 405. per λόγον  
ἐξ αεχῆς σπειεγύγας, verbum à principio seminantes descri-  
bit. Quæ cum ita sint, & non solum Presbyteri & Dia-  
coni, sed etiam Episcopi in primitivâ Ecclesiâ Catechitarum  
partes subierunt, tantum abest ut hodiè ex ordine Clerico-  
rum pudori cuiquam esse debeat, ad ejusmodi negotium de-  
scendere, ut potius summis laudibus mactandi sint, qui in  
hoc studio Catechetico promovendo operam sedulò po-  
nunt. Inter qvos locum sibi in Ecclesia nostra facile prin-  
cipem hodiè vendicat incomparabilis noster SPENERUS,  
Theologus, in qvem (ut pace Summi Viri dixerim,) αὐτευ κο-  
λανείας quadrat illud Theodoreti de Alexandro, Episcopo  
Antiocheno, quod fuerit λόγω παιδεύων ηγετεύων βεβαιῶν πῶι βίω  
τὰν λόγων, L. III. H. E. c. VI. Loquuntur quæ non solum Frati-  
cofurti

coferti ad Mœnum, sed etiamnum Dresdæ edit, specimen  
Catechetica.

§. IX.

Proximi à Ministris Ecclesiæ Catecheta sunt Doctores Scholastici seu Praeceptores in Scholis, quorum est jungere operas suas cum Ministris, piam omnis animæ institutionem, quantum fieri potest, promovendo. Sunt enim Scholæ non solum officinæ bonarum artium & linguarum, sed etiam pietatis, quandoquidem omnis eruditio

Demtā pietate venenum est.

Qvod si enim ingentia librorum volumina ab equisonibus conscripta extant, quo pacto teneros & indomitos equos curare oporteat, ut frena pati, seffores admittere, tolutum incedere, crura alternis molliter explicare, vel procumbere etiam humi, commodissimam seffori vectionem præbere, pegasei tantumque non vento perniciores, & ad omnis generis exercitia iudicra & seria instructi & apti esse queant, quo magis omne temporis, studij, laborum & actionum in hanc eandem rem ponant & convertant Ludimoderatores in Scholis, ut fidei fundamenta docendo & repetendo indefessò studio instillent juventuti. Ad hanc classem specialistum referendi sunt informatores pagani, qui custodum vulgo sic dictorum vices implent in informandâ juventute, & vulgo Catecheta audiunt, à primario illorum munere, qvod Catechizatio est.

§. X.

Absit autem ut isthac κατηχοως cura solis imperetur Doctoribus in Ecclesia & Schola, etiam Parentes domi habent, quod hic agant: secus atque vulgo fit, ut illi in officio suo cessent, ac universum istud onus in Pastorum humeros exonerent. Unde aurei oris Doctor, jam suâ ætate invehitur in eos, qui Ministris Ecclesiæ in hoc studio tam multum

multum negotii facessunt: πάντα ἡμῖν ὑπέρπιπτα. υἱοῖς ἐχεῖν  
πατέρας ἡμῶν μανδάνειν μόνον, τὰς δὲ γυναικας πατέρας ἡμῶν, τὰ παιδία  
πατέρας ἡμῶν. αὐτὰς πάντας ἡμῖν καταλιμπάνεται. Ήτο τόπος ὁ  
μόνος. Hom. IX. in Epist. ad Coloss. Vos omnia in nos reji-  
citis, vos (Parentes & Maritos alloquitur) oportebat solum  
a nobis discere; uxores autem & liberos a vobis. Verum a-  
nnia nobis relinquitis, unde tam multus labor nobis incum-  
bit. Hactenus illè Opus itaque est, ut Parentes & ipsi  
Examinibus Catecheticis publicis intersint, & quid ex  
Catechizationibus nec non Concionibus didicerint, a dome-  
sticis exigant, eaq; uberior & familiarius inculcent, laudent  
quoq; qui melioris sunt exempli, ignavos vero arguant. Id  
quod Deus severè præcepit, Exod. XII, 26. Ps. LXXVIII, 3. Ilia-  
de Chrysostomus Hom. XI. in Matt. iterum hortatur Paren-  
tes: Non oportebat omnino a cœtu Ecclesiastico recedentes  
contrariis huic studij negotiis implicari, sed domum continuo  
revertentes sacros replicare libros, & conjugem pariter libe-  
rosq; ad eorum, que dicta sunt collationem vocare, hisq; al-  
tius animo, ac penitus insertis, tūm demum ad ea, que huic  
vite sunt necessaria, curanda procedere. Et paulò post:  
Legem hanc nobis præscribamus immobilem, nec nobis modo,  
sed conjugibus etiam liberisq; nostris, ut unum hunc totius  
hebdomadis diem, quo ad audiendum concurritur, in eorum,  
que dicuntur, meditatione ponamus. Idem Hom. II. in Jo-  
hannem: Illud vos, inquit, admonendos hortandoſq; censeo  
perneccarium, ut, quo nunc estis, animo perseveretis, neque  
in hoc tantum confessu, αὐτὰς ἡμοις φυσικές, τὸν ἄνθρωπος  
τὴν γυναικα, τὸν πατέρα περιβάλλει, τὸν παῖδα, τὴν τάγην Διαλέγεσθαι  
sed domi quoq;, vir cum uxore, Pater cum filio invicem de-  
bis frequenter loquantur, ut ultro citroq; suam & ferant  
& inquirant sententiam, velintq; probatissimam hanc & pul-  
cherrimam inducere consuetudinem. Nec mihi quispiam di-  
mūlum

cat,



cat, pueros in hoc occupari non oportere. Non enim tantum  
opus est, ut his vacent admonitionibus, verum etiam solis. Im-  
becillitatis tamen nostrae gratia hoc non dicimus; neq; eos a  
secularibus & terrenis rebus, quemadmodum neq; vos a civi-  
libus negotiis, abducimus. Atqui è septem his diebus unum ad  
communis omnium Domini cultum, servitiumq; collocandum  
merito arbitramur. Nonne ridiculum est, ut servulos no-  
strros in nostris semper negotiis occupatos velimus, nos vero  
Deo nullum exhibere servitium, praesertim cum omnis nostra  
servitus nihil quicquam ei conferat? Deus enim nullare in-  
diget, sed ad nostram penitus redundat utilitatem. Vos au-  
tem ad spectacula filiis adductis, neq; ad doctrinā, neq; ad ul-  
lara bonam frugem eos unquam bortamini. Verum, si quid  
sanctum, si quid spirituale comparandum colligendumq; fue-  
rit: inanem id appellatis sollicitudinem. Nonne iram DEI  
in vos merito provocatis, cum ceteris rebus, & certo tempo-  
re, & diligentie cura exhibita, in divinarum rerum doctrinā  
pueros exerceri molestum intempestivumq; ducitis? Non sic,  
non sic, inquam, fratres dilectissimi! Hac profecto aetas his  
maxime admonitionibus indiget: tenera est, & cito, que ei  
instillantur, imbibit, & audita accipit; tanquam sigillo auditus  
ceræ, h.e. puerorum animis impresso. Præterea & vita eis in-  
aditu est, & in ipsis ferè januis, ut vel ad virtutem vel ad  
vitium facile possit deflectere. Si quis igitur eos ab ipsis in-  
cunabulis, & quasi vitiorum vestibulis, ad viam virtutis ab-  
straheret, in habitu quodam, & natura recta vivendi eos  
confirmaret, neq; sponte sua facile in deteriora prolaberentur;  
cum ejusmodi a teneris adsuetudo ad virtutem eos alliceret.  
Haec tenus Chrysostomus, cuius locum, quamvis prolixum,  
adscribere non piguit, cum sui nominis sit, i.e. aureus ac de  
multis ὡραῖς παιδῶν ἀγωγὴν pertinentibus & necessariis  
admoneat. Et sane nihil vel parum proficitur in exercitio

C

Cate-

Catechetico publico, nisi in Ecclesiis domesticis quoque diligenter Catechismus inculcetur, quod experientia abunde docet. Unde necessitatem hujus privatæ Catechizationis & informationis domesticæ etiam Megalander noster Lutherus urget, T. IV. Jen. Germ. f. 524, ubi pro more suo, i.e. graviter & nervosè perorat: Vater und Mutter sind in ihren Häusern Bischoff / Pabst / Doctores, Käyser / Fürsten und Herrn / drum soll ein Vater seine Kinder wie ein Richter straffen / lehren wie ein Doctor, ihnen vorpredigen wie ein Pfarrer und Bischoff: Thut nun ein Vater solches/ so kan er vor Gott bestehen; thut ers nicht / so wird er seinen Lohn von Gott wohl bekommen zu seiner Zeit. Denn Vater und Mutter können das Himmelreich verdienen an ihren Kindern; Also wiederumb mögen die Eltern nicht leichter die Hölle verdienen / denn an ihren Kindern / in ihren eigenen Häusern / wo sie dieselben versäumen / und nicht lehren / die Dinge / wie gesaget ist. Quæ cum ita sint, super vacaneum esse arbitror, cum Gisb. Voëtio prolixè probare, Catechizationes illas domesticas etiam sine expresso Ministerii aut Consistorii consensu institui posse, prout facit l.c. c. I. §. III. q. 4. p. 846.

## §. XI.

Quod autem de Parentibus dixi, idem etiam de Heris intellectum volo, qvippe quibus non minus salus animæ servorum & ancillarum cordi esse debet quam corporis. Unde haud quaquam satis habeant famulitium ad examina Catechetica publica mittere, sed domi quoque urgeant istud negotii. Reqvirit id supra laudatus Hippomensium Episcopus B. Augustinus, Enarrat. in Pl. L. Charissimi, regite domos vestras, regite filios vestros, regite familias vestras. Quomodo ad nos pertinet, in Ecclesia loqui vobis; sic ad vos pertinet, in domi-

domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de his, qui  
vobis sunt subditi.

### §. XII.

Sed nec famulitium, cui cum tenera aetate cottidiè negotium est, excluderim ab istuc labore Catechizandi, quin nutrices cum lacte & cibo fundamenta pietatis infantibus ac puellis instillare oportet. Laudat eo nomine nutricem suam Basilius M. Epist. LXXV. ad Neo-Cæsarienses, inqviens: πίστεως τῆς ἡμετέρας τίς ἀν γένοιτο ἐναργεστέα διπόδειξις, η ὅπ τε φερόντες ἡμεῖς υπὸ τίτθη μακαρία γυναικί, παρ' ὑμῶν ἀεμημένῃ (Μακαρίαν λέγω τὴν αθ. Βόντων) παρ' ἡς ἐδιδάχθημεν τὰ τὰ μακαριοτέρα Γενησοεις ρήματα, ὅσα τοὺς αὐτὴν ἀκολούθια μηνύματα Διασωθέντα αὐτῇ τα εὐλαβεστα, καὶ ἡμᾶς ἐπι νηπίας ὅντας ἐπλατεις καὶ ἐμόρθος τοῖς τῆς ἐυσεβείας δόγμασι, Fidei nostrae qua poterit esse evidentior probatio, quam quod à nutrice beata fœmina, quæ ex vestro gremio progressa est, (Macrinam dico, illustrem illam) educati sumus, à quā & Beatisimi Gregorii Thaumaturgi verba, quæ memoriæ beneficio ad illam usq; etatem servata ipsa retinuit, edocti sumus, quibus illa nos adhuc infantes tanquam pietatis dogmatibus finxit ac formavit?

### §. XIII.

Qvod si autem quis horum laborum suorum Catecheticorum præmia desideret, (ita enim ingenium hominum est, ut cymbam actionum non regat ferrum, nisi magnete aliquo utilitatis perfricitur) nec ea desunt. Malo autem exhibere verbis Clementis Alexandrini, quam meis. Ita enim ille L. III. Stromat. componens generationem liberorum spiritualium cum opere conjugali: τῷ γάρ επατὰ λόγῳ τεκνοποιησαμένῳ καὶ αὐτοῖς ταῦταις, καὶ παιδέυσαντὶ τὸν κυρίων, καθάπερ καὶ τῷ Διὶ τῆς ἀληθῆς κατηκόσεως γεννησαντι, καὶ τὰς ὁ μισθὸς ὥσπερ καὶ τῷ συλεκτῷ σπέρματι: Ei, qui ratione seu verbo Dei convenienter filios procreavit, educavit & eruditivit

in Domino, sicut & illi, qui per veram Catechesin & Institutio-  
nem filios generat, merces quedam reposita est, sicut & ele-  
ctio semini.

§. XIV.

Denique nec omittendi sunt ii, qui de Sacro fonte susci-  
piunt infantes, quin & illi & m̄ḡ ad hoc Catechi-  
zationis negotium conferre tenentur. Neq; enim adhiben-  
tur ad Baptismum cujusdam nundinationis aut auctupii pe-  
cuniæ ergo, neque ad conciliandos amicos, sed cùm pro-  
pter alios fines, tūm ob educationem infantum, cu-  
jus Catechizatio non ultima pars est; tunc enim, cum  
ā Parentibus ad istud officium vocati fidejubent pro  
infantibus, illis in recta infantum institutione ope-  
ram mutuam condicunt. Vetustissimum id esse Ecclesiæ  
institutum & morem, vel Augustini exhortatio fidem facit.  
Ita enim illa sonat: *Vos ante omnia tam viros quam mulie-  
res, qui filios in Baptismo suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis  
fidejussores apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis de Sacra  
Fonte suscipere. Ideoq; semper eos admonete, ut castitatem  
custodiant, justitiam diligent, charitatem teneant; ante omnia  
Symbolum & Orationem Dominicam, & vos ipsi tenete, & illis,  
quos suscepistis de Sacro fonte, ostendite, Serm. CCXII. de  
Temp. Ex quo etiam in decretum suum retulit ista Gratianus,  
Juris Canonici Compilator, de Consecr. Dist. IV. Atq;  
ita etiam Can. XLVII. Concilii Moguntiaci, quod Anno Chri-  
sti DCCCXIII. celebratum, sancitum fuit, ut unusq; visq; com-  
pater spirituales filios suos instruat.*

§. XV.

Nervus autem totius negotii hujus Catechetici est au-  
toritas Magistratus, cui incumbit ejusmodi Ludimoderato-  
res, qui Catechetica & ipsi rectè norunt, & insuper faculta-  
te pollent ea aliis tradendi & explicandi, feligere, Scholisq; ve-  
prafice-



præficere. Id qvod Embdani in Synodo Dordracena in suis Ecclesiæ Patribus, Senioribus & Scholarchis, quibus ista cura demandata, in primis laudant, quod in eo summo conamine semper fuissent & adhuc essent, ut pios, fideles & industrios habeant cùm Latinos tūm Germanos utriusq; Sexus Ludimoderatores, qui manuum suarum subscriptione sanctè se obligent, sese inter ceteras muneras sui partes in primis rationem Catecheses habituros, eamq; discipulis suis inde sinenter inculcatus. Et hunc in finem singulis trimestribus Scholas visitare, industriaq; præceptorum & profectum discipulorum in doctrina præsertim Catechetica explorare nō intermisso. Cum autem dies Sabbathi Iusibus aliisqve id generis exercitiis maximè profanetur, eōqve pium Catechizationis institutum impediatur, autoritas Magistratus imploranda, ut Iusibus ejusmodi aliisqve impedimentis gravissimè interdicat, populumqve, qvibus fieri potest rationibus ac mediis, in primis eos, qvi in discendo sunt impatientes, ad hæc Examina Catechetica frequentanda adigat. Huc tendunt Theologi Magnæ Britanniæ, qvando in Synodo sæpè hactenus memoratâ ejusmodi judicium suppeditant: *Ut & Catechizandi κατηχουσοι & Catechizantes suis officiis non desint, oportet interveniat summa Magistratus authoritas, qvæ in ultimum non ferat, vel Parentum, vel Ludi-Magistrorum, vel Ministrorum negligentiam.* Qvæ etiam sub multa pecuniaria injungat Senioribus qvibusqve, ut juniorum Catechizationi publicè intersint. Eò pariter Theologi Hassiaci: *Statuendum, accidente Magistratus consensu & autoritate, omnibusq; & singulis seriò, ac sub certâ multa pecuniaria, pauperibus numeranda, injungendum erit, ut non minori frequentia omnes ju-niores pariter & adulti bisce Examinibus Catecheticis, qvam ipsis Concionibus intersint audiendis.* In eandem eunt sententiam Palatini ibid. *Magistratus in primis rogandus vide-*



tur, ut juvet labore Ministerii, nec patiatur, Catechetici Cons  
cionibus, licenter nimis & scandalosè exspatiari populum. Ipsa  
denique Synodus Sess. XVII. Ut omnes, (Pastores, Ludi-Ma  
gistris, Parentes,) diligenter officium faciant, rogandierunt Ma  
gistratus Christiani, ut tam sanctum ac necessarium Catechi  
zationis opus autoritate sua promoveant, concludit. Qvod  
si accedant exempla ipsius Magistratus, Ministrorum, Senio  
rum, earumque Uxorium, Liberorum & famulitii, prout id  
ab Illustribus quoque Personis in Germania magno cum  
Ecclesiæ bono alicubi factitatum, Compulsione & *ἀναγκασ*  
*μω* illo forsitan haud opus erit.

### §. XVI.

Utrum verò ejusmodi *ἀναγκασμὸς* ad Catechizatio  
nem aut licitus aut consultus sit, in eo Theologi non æqvè  
consentient. Sunt qui illum improbant, qvòd cultum  
spontaneum reqvirat Deus, à qvō etiam Christiani audiunt  
נָרְבּוֹת **נָרְבּוֹת**, populus spontaneus, Ps. CX. 3. qvilibet pro  
se Deo rationem sit redditurus, Rom. XIV. 12. & Divinus Va  
tes nullā re magis confirmari petat, qvām Spiritu sponta  
neo, Ps. LI. 12. Spontaneum autem & coactum sibi invicem  
opponuntur. Δοκεῖ γὰρ ἀκόσια εἶναι τὰ βίᾳ γνώμενα, inquit  
Aristoteles, L. III, Ethic. c. 1. Qvam in rem etiam γνώμην  
Nazianzeni, ex ejus Apologiâ proferunt, qvæ sic habet: Grex  
Dei per vim non est cobibendum, verum persuasione alliciendum.  
Nam qvod vi aut necessitate exprimitur, preterqvām quod ty  
rannicum est, minimeq; laudandum, ne firmum quidem ac sta  
bile est. Solet enim id, cui vis adhibita est, non secus ac plan  
ta per vim manuum inflexa simul ut dimissa fuerit, ad se rur  
sum redire: qvod autem à libera voluntate proficiscitur, equi  
simum simul ac firmissimum esse solet, utpote benevolentia vin  
culis adstrictum & conservatum. Verum enim vero, licet  
ad fidem nemo compelli possit ac debeat, ad audiendum,  
tamen



tamen verbum, ad frequentanda Examina Catechetica, tan-  
quam media fidei, utique cogi possunt. In eo quidem no-  
lim repugnare, verbi Ministros in primis ἀναγκασμὸν mora-  
lem decere, ut doceant & urgeant prius hujus Sacri exer-  
citii Commoda & bona, & rursus incommoda & periculum,  
si omittatur; item necessitatem cum utilitate conjunctam  
exaggerent: forsitan fiet, ut sic ultrò currant, & ipsi se  
sua voluntate, quod Comicus ait, cogant. Qvod si autem  
his non moveantur, sed omnis labor frustra impendatur, ina-  
neque semen sterili freto tradatur, res ad Magistratum Po-  
liticum deferenda; observatā tamen hāc Cautelā, ut omnia  
fiant circumspetē, sine affectuum turbine, in hunc præci-  
puè finem, ut Dei ipsius honor vindicetur, ipsi transgresso-  
res pœnæ gravitate sapientiores reddantur, alii horum pœ-  
nas adspicientes deterreantur, ad idem committendum  
advocentur, & alieno periculo docti cautius mercentur. Id  
quod ex asse responderet Concilio Maguntiaco, c. XLV. Sym-  
bolum, quod est signaculum fidei, & Orationem Domini-  
cam, discere semper admoneant Sacerdotes populum Chri-  
stianum. Volumus, ut disciplinam condignam habeant, qui bac  
discere negligunt, sive in jejunio, sive in aliâ Castigatione emen-  
dentur. Inde etiam JCtus supra laudatus, Johannes Brun-  
neman l. d. p. 200. multos reperiri conqueritur, qui sub Exa-  
mine Catechetico domi laborent, ludant, in foro ambu-  
lent, vendant, emant, aut alias examina illa contemnant;  
& pro necessario habet, ut Magistratus, cupiens esse nutri-  
tor Ecclesiæ, compellat intrare refractarios & coercent  
temtores pœnis. Quam in rem citat Serenissimi Saxonie & Du-  
cis Friderici Wilhelmi edictum de Anno 1643. qui Catechi-  
zationis frequentationem sub pœna mandavit; item man-  
datum Domini Ernesti, Ducis Saxonie, nec non Domini Au-  
gusti, Ducis Brunsvicensis, & Domini Georgii Wilhelmi, Duci

L. 22-



Brusvicensis, quæ edicta sub titulo Consiliorum Reformato-  
rum Anno 1664. publici juris facta. Et qvid sibi aliud  
vult Decretum nostrum Synodale Generale, auspicis Se-  
renissimi ac Potentissimi Electoris Saxoniæ Johannis Geor-  
gii I. publicatum, & sub Johanne Georgio II. revisum? Ita  
enim illud §. XI. Hingegen und hiermit wird allen einge-  
pfarrten und Zuhörern ernstlich auferleget und befohlen/ daß  
auch sie an ihren Orth/mithren Weibern/ Kindern und Ges-  
sinde sich fleißig zum Gottesdienst einstellen -- -- Ingleichen  
das Examen Catechismi nicht versäumen: In wiedrigen fal-  
le/ und wenn auff ermahnung des Pfarrers keine besserung  
erfolget / nach desselben bey der Weltlichen Obrigkeit ange-  
hen/ die mutwillig aussenbleibende / und zwar jedes dersels-  
ben mit 6. gl. in den Gottesfästen/ laut des XVII. General-  
Articuls zuerlegen von gedachter Obrigkeit oder Gerichts-  
Herrn angehalten werden sollen.

§. XVII.

Satis, uti arbitror, dictum de iis, quibus Catechiza-  
tio cordi esse debet. Ordo reqvirit, ut ad eos etiam, quibus  
prima Christianæ Religionis fundamenta sunt tradenda, acce-  
damus. Atque hi vulgo antiquitus κατηχουσι audiebant,  
quod, uti antea monitum, vivâ voce instituebantur sine scri-  
pto. Tertullianus nuncupat eosdem Novitiolos, L. de Pœ-  
nitentia, c. VI. Novella germina & Examen novellum, Augusti-  
nus, Serm. CLVII. de Temp. Tirones Dei, idem L. II. de Sym-  
bolo ad Catechumenos, c. I. Juniores & Parvulos, Cassianus,  
L. IV. c. 30. Tertullianus, Alumnos, Basilius M. Exhortat. ad Ba-  
ptisma, Catulos infantie abhuc recentis, Tertullianus d. I.  
(quomodo & Gregorio Nysseno Eunuchus ille, Baptismi pe-  
titior, de quo Act. VIII. audit ἀγαθὸς οὐκέλαξ, L. de Baptismo.)  
Erant autem alii Incipientes, alii Proficientes, alii Consumma-  
ti. Incipientes nominabantur & Audientes, Tertulliano Au-  
ditores,

*Mitores, i. c. uti Bedæ nova vītæ auditores, Comitient, in Es-  
dram, qvod rudes à principiis Christianæ fidei audire jube-  
bantur docentes, ut discerent prius, qvām de rebus fidei i-  
psi loqverentur. Addiscebant hi mysteriorum fidei prima  
rudimenta, & in Sacris publicis ad auditionem verbi & Scri-  
pturarum lectionem admittebantur. Baptismum verò non-  
dum petebant, neqve manuum impositione digni cense-  
bantur; Precibus qvoqve interesse non poterant, qvin po-  
tius, qvando Missa fidelium & publicæ Orationes inchoa-  
bantur, ab Ecclesia expellebantur, Binus, in Notis ad Con-  
cil. Ancyran. D. p. 283. Proficientes autem, qvi Christianæ  
Religionis fundamenta jàm edocti, ad Ecclesiæ præsides aut  
Catechetas etiam suos accedebant, ab iisqve Sacramento Ba-  
ptismi initiari petebant. Inde etiam Competentes vocaban-  
tur, cujus appellationis, inquit Alstedius in Theol. Catech.  
p. 2. hæc videtur fuisse ratio, qvod, posteaqvam doctrinam  
Religionis didicerant, petebant unà cum aliis Sacro initiari  
Baptismo, atqve Ecclesiasticæ Communioni inseri. Huc  
pertinet Can. XIII. Concilii Agathensis, in qvō definitum  
erat, ut, ante octodies dominicæ Resurrectionis, Symbolum  
ab omnibus Ecclesiis publicè in Ecclesia prædicaretur Com-  
petentibus. Sic etiam explicat Isidorus Hispal. L. II. de Offic.  
Eccles. p. 119. Post Catechumenos secundus competentium gra-  
dus est. Competentes autem sunt, qvi cum post doctrinam  
fidei, post Continentiam vītæ, ad gratiam Christi percipien-  
dam festinant, ideoqre appellati sunt Competentes, i. e. gra-  
tiam Christi petentes. Nam Catechumenitancū audiunt, nec  
dum petunt; sunt enim quasi hospites & vicini fidelium, de-  
foris audiunt mysteria, audiunt gratiam, sed adhuc non ap-  
pellantur fideles; Competentes autem jàm petunt, jàm acci-  
piunt, jam catechizantur, i. e. imbuuntur instructione fidei  
& Sacmentorum. Conf. etiam de hoc titulo Augustinum,*

D

Serm.



Serm. CXVI. de Temp. ad Competentes habitum. Denique *Consummati* dicebantur etiam *Electi*, qui scrutinis seu inquisitione de fide ac moribus sufficienter probati, & salutari immersione digni reperti, ad Baptismum suscipiendum ex reliqvorum Catechumenorum numero *eligebantur* & admittebantur, ut videre est ex Siricii Epist. I, ad Himmer. Tarrac. c. II. T. I. Concil.

§. XVIII.

Tales erant Catechumeni in Ecclesia veteri, de quibus nunc ex instituto agere non vacat. Egerunt de illis ante nos alii. Hodie in nostra Ecclesia Catechizationi obnoxios vulgo faciunt scilicet pueros & puellas, servos & ancillas, cum tamen inter adultos, immo etiam senes interdum, trassissima sit stupiditas ac imperitia primorum fidei capitum. Errant profecto, qui ab Examinibus Catechetis eximere satagunt adultos, cujuscunque ordinis & aetatis, maximè autem patres & matres familias. Eo ipso enim dum intersunt & ipsi ejusmodi Catechizationi, suo exemplo praeludent liberis & famulitio; & quamvis rudimentorum fidei periti sint vel maximè, nihilosecius tamen confirmantur & maiores subinde profectus faciunt in doctrina Christiana. Dies enim diem docet. Unde Constitutiones nostræ Ecclesiasticae non solum liberos & famulitium subjiciunt Examini Catechetico, verum etiam patrum & matrum familias presentiam requirunt, si non ut Catechumenorum, saltem ut auditorum. Vide Decretum Synodale Generale §. XVI. supra allegatum. Firmabimus rem iterum exemplo veteris Ecclesiae Doctorum, quippe qui non cum solis junioribus, sed etiam adultis in hoc exercitio Catechetico versati sunt. Prodeat hanc in rem Chrysostomus. Ita enim ille Hom. XII. ad Pop. Antioch. *Prius dictorum apud charitatem vestram fructus ad vos repetiturus adveni.* Non propterea dicimus, ut tantum audiatis,

diatis, verum etiam ut dictorum memoriam servetis, & per opera nobis memoriae demonstrationem præbeatis, magis vero non nobis, sed Deo, mentis arcana scienti, propterea & Catechesis, i.e. instructio dicitur, ut & absentibus nobis sermo noster mentes vestras instruat. Inter Catechumenos nostros autem haud quaque omittendi sunt mendici, quippe quod hominum genus plerumque *ἄπειρον*, atque elementa fidei cum ignarissimis scit. Unde haud praeter rem vetuerunt nonnulli Principes mendicos ostiatim querere panem, nisi habeant testimonium Pastoris de Catechismi notitia, vel sanctè promiserint, se Scholas Catecheticas audituros. Neque enim Magistratui Christiano & Ministris Ecclesiæ de sustentatione mendicorum corporis solum cura incumbit, sed vel maximè etiam animæ ad eos pertinet, ut vel innocentissimi eorum liberi in Elementis, Christianæ Religionis ac pietatis *καδδύρων* informentur, observante iterum Brunnenanno, l.c. §. VIII. p. 201.

### §. XIX.

Atque hæc ipsa sunt, quæ Catechumenis instillandas sunt, nimirum præcipua fidei Christianæ capita, cuius Christiano scitu ac creditu necessaria, quæ egregie Scriptura S. sermone ad nutritionis corporalis modum accommodato, *Lactis* nomine explicat, lac vocando elementarem doctrinam, rudibus ac veluti infantibus in fide Christiana, qui late materno nutriuntur, instillandum; solidum cibum autem perfectiorem, ad quam adultiores proficere debeant, vid. 1. Cor. III. 2. Ebr. V. 12. sq. Quemadmodum enim lac infantibus, solidus autem cibus adultis præberi solet: sic in passione Spirituali junioribus prima dundaxat doctrinæ Christianæ elementa, adultioribus autem solidior cibus exhibetur. Itaque in justa doctrinæ de Christo & Christianismo methodo à sublimioribus, difficilioribus & minus ne-

D 2

cessa-



cessariis incipiendum non erit, neque primo loco στρεᾱ τρο-  
Φη̄, solidus cibus, sed γάλα, lac; non πλειότες seu perfectio-  
nis capita, sed σοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τὸ θεῖον, elementa  
initii eloqvorum Dei tradenda erunt, juxta monitum A-  
postoli, Ebr. V. 12. Quid autem τῶν σοιχείων nomine h. l.  
Apostolus intellexerit, de eo interpretes audire juvabit.  
Theodoreetus ad h. l. p. 417. Edit. Paris. Στοιχεῖα τῆς δέκης  
τῶν λογίων τὸ θεῖον τὰς Καπενοτέρες, ὡθὶ τὸ χριστόν λόγον ἐκά-  
λεσε. Τοῖς γέδι μηδέπω τὴν πίστιν ἐχηκόστι πλεῖστον, τὰ ὡθὶ τῆς αν-  
Θεωπότητος προσέφερον μόνα τῆς ἀληθείας οἱ κήρυκες, Elemen-  
ta initii eloqvorum Dei vocavit humiles de Christo sermones.  
Illi enim, qui nondum fidem perfectam habebant, ea solum  
qua ad humanitatem (Christi puta) pertinent, exponebant  
veritatis praecones. Chrysostomus Homil. VIII. in Epist.  
hanc p. 476. Edit. Paris. Εἰνταῦτα σοιχεῖα δέκης τὴν αὐθεω-  
πότητα Φησιν. Οστερός γάρ ὅπι τῶν ἔξωθεν γραμμάτων πέωτον  
τὰ σοιχεῖα δὲν μαθεῖν. οὐτω ναὶ ὅπι τῶν Θείων λογίων πέω-  
τον ὡθὶ τῆς αὐθεωπότητος ἔδη διδάσκεσθ. b. e. elemen-  
ta initii humanitatem dicit. Quemadmodum enim  
in profanis literis primum oportet discere elementa: ita  
hic quoq; primum eos doceri oportet de humanitate. Nec  
aliter Theophylactus p. 918. Edit. Paris. σοιχεῖα τὰ ὡθὶ τῆς  
αὐθεωπότητος τὸ χριστόν Φησιν. Οὐσπερ γάρ ὅπι τῶν ἔξωθεν τὰ  
σοιχεῖα πέωτον δὲν μαθεῖν, οὐτω δὴ ναὶ οὐταῦτα πέωτον ὡθὶ τῆς αὐ-  
θεωπότητος ἔδει διδαχθῆναι, εἴ τα τοῖς τῆς θεότητος προσβείναι,  
πλειούρας Διανοίας δεομένους. Elementa ea, quae sunt de huma-  
nitate Christi, vocat. Ut enim in profanis literis primum  
elementa discenda sunt; eodem modo hic primum doceri o-  
portet de humanitate Christi, atq; humilibus adscendendum,  
deinde accedendum est ad ea, quae sunt Deitatis, quibus per-  
fectiore intellectu opus est. Photius quoque apud Oecume-  
nium, p. 822. Edit. Veronens. explicat de Incarnatione, σοιχεῖα  
τῆς ἀρχῆς τὴν οὐανθεώποτον λέγει, elementa initii incarnatio-

2673

nem dicit. Affert tamen idem eodem loco aliam quoque interpretationem, & meliorem quidem: Εἴτε σοιχεῖα ἀρχῆς λογίων τό δέ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ τῷ συνταῖᾳ, οὐδὲ τοῖς ἐργοῖς αὐτοῦ, τῷ πτεῦσαὶ ὅπῃ Ἰησοῦ, τῷ βαπτισθῆναι τῷ λαβεῖν πνεῦμα ἄγαλον, τῷ εἰδέναι υἱόν τον αὐτού, τῷ πτέυειν ὅτι κείσεται. Elementa initii eloquiorum Dei sunt renunciare diabolo & operibus ejus, credere in Deum, baptizari, accipere Spiritum S. nosse resurrectionem mortuorum, credere iudicium. Hæc ille. Istud vero de humanitate Christi interpretamentum Græcorum tantum abest ut approbemus, ut potius alienum & fidei analogiæ contrarium asseramus. Neque enim sola doctrina de Christi humanitate, ad σοιχεῖα Apostolica pertinet, altera de Christi Deitate cibo solido reservatâ, sed utraqve de Christo vero homine & vero Deo ad elementa pertinet, omnibusq; salvandis necessaria est, utpote ad τὴν μήνην ὅπῃ Ἰησοῦ, quam Symbolum Apostolicum & Athanasianum cœū omnibus necessarium exhibet, pertinens. Nescit profectò vitam suam, nescit qui Iesum Christum ut verum Deum, ita & verum hominem ignorat, ait Pictaviensem Episcopus Hilarius, L. IX. de Trinit. Hæc humana beatitudinis fides vera est, Deum & hominem prædicare, verbum & carnem confiteri, neq; Deum nescire quod homo, neq; carnem ignorare quod verbum sit, Vigilii verba sunt, L. III. Contra Eutych. Uno verbo: σοιχεῖα Apostolo sunt prima Christianismi capita, prima rudimenta doctrinæ Christianæ ad salutem consequendam necessaria, quæ in Scriptura S. tam claris tradita sunt verbis, ut ab infantibus in cognitione fidei capi queant, tropo à pueris alphabetariis petitō, qui à primis literarum elementis incipiunt, de quibus commodum illud Horatii in mentem venit:

— Pueris dant crustula blandi  
Doctores, elementa velint ut discere prima.

D 3

Ex



Ex quibus præcipua saltem nominantur c. VI. v. 1. 2. suntq;  
(1) μετάνοια διπλή νεκρῶν ἔργων, quo nomine articuli de pecca-  
to & pœnitentia intelliguntur, (2) πίστις θεοῦ, Fides in De-  
um P. F. & Sp. S. quæ in Symbolo Apostolico comprehen-  
ditur, (3) βαπτισμῶν διδαχὴ, seu articulus de Baptismo, cum  
quod ob paritatem rationis & cognitionem doctrina de coe-  
na Dominica, ceu altero Sacramento, simul tradita fuit, ju-  
dice B. Calovio in Comment. ad h. l. f. 1232. alii tamen omis-  
sam fuisse censem ab Apostolo, qvod Catechumeni in pri-  
mitiva Ecclesia ne quidem admissi fuerint, ut S. Coenæ a-  
ctionem spectarent, nedum ut doctrina illis proponi con-  
sueverit. (4) θεοστικὸν χειρῶν, quâ τέλεσθαι doctrinam de  
S. Ministerio, ad quod ordinabantur manuum impositione,  
cui verbi prædicatio, Sacramentorum administratio, & potes-  
tas solvendi & ligandi credebatur, vel usus clavium, com-  
plectitur. (5) αὐτακτικὸν νεκρῶν, articulum de Resurrectione mor-  
tuorum, exhibet. (6) κεῖμα αἰώνιον, doctrina de extremo ju-  
dicio, quod æternum nuncupatur, quia executio ejus in æter-  
num se porrigit, quâ præmia fidelium & supplicia infidelium  
æterna. Hæc sunt elementa illa, quæ simul θεμέλιον  
seu fundamentum doctrinæ Christianæ vocat, & λόγον ἀρχῆς  
τῷ χειστῷ.

### §. XX.

Nunc verò de modo, ordine & processu Catechizationis  
nonnulla ex veneranda Antiquitate repetere operæ pretium  
erit, ut appareat, quām diligenter & prudenter veteris Ec-  
clesiæ Doctores passim hâc de re præceperint, & ad ratio-  
nem administrandi verbi Divini, tam adultis, quām Cate-  
chumenis non pœnitendam viam præixerint. Qvotqvot  
adultorum in veteri Ecclesia, vel ex Judaismo, vel ex Gen-  
tilismo ad Christianismum accedere volebant, ante omnia  
nomen suum profitebantur apud Loci Episcopum, à qvō re-  
cepti,



cepti, amplius ad Catechetam adducebantur, ejusque informationi tradebantur. Qvod autem vivâ voce fuerint instituti, jām superius monitum atq; probatum ex voce κατηχεῖν, quæ ipsis Catechumenorum nomenclaturam dedit, idemque significat, qvod κατὰ τὸ ηχον, sc. viva voce proponere & informare. Ordo hic erat, ut primum docerentur Symbolum Apostolicum, tām quoad verba, quām quoad res. Non enim satis ducebatur, credo simpliciter posse recitare, ut psittacus, humanæ vocis imitator, suum χαῖρε reddere solet, sed & sensum indagare, quidque hæc mysteria sibi velint, quæ credenda proponerentur, pro captu suo exploratum tenere. Symbolō traditō & perceptō subjungebatur Oratio Dominica, quod liquet ex his Augustini verbis: Reddidistis, qvod creditis; audivistis, qvod oretis. Nam quomodo invocare possetis, in quem non credidistis? Ideò prius Symbolum didicistis, ubi est regula fidei vestra, brevis & grandis. Brevis numero verborum, grandis pondere sententiarum, Serm. CXXXV. de Temp. Neq; verò hīc tumultuarie procedebant, sed pro ratione captus docebant. Ita enim Catechetas instituit Cyrillus Alexandrinus, L. II. in Jes. c. 47. Attendamus nos oro, qui docendi potestatem accepimus, melius esse, ut simpliciter fidem, quām profundiore ratione diligentius expositam neophytis tradamus; Nam & Paulus lacte non-nulos se nutrīsse dicit, qui sc. nondum solidiores cibos digere poterant. Et gregis tui animos cognoscendos tibi esse, prudenter idcirco Salomo consuluit, ut moneret, singulorum ingenii proportionabiliter doctrinam esse accommodandam. Et L. eod. c. 95. Qui docendi gradum in Ecclesia Dei possidemus, à MINORIBUS INCIPERE DEBEMUS: quæ cum neophyti ruminaverint, tunc à parvis ad majora sic adducendi sunt, ut JESUM CHRISTUM jam videant. Qui autem teneros in fide in interiora sanctorum introducentes, ac illo-

1159



tis; ut dicitur, manibus agnum Dei committentes, Sacerdotia-  
li dignitate nondum bene Catechumenos ornant, sciant, se  
non parvam hujus rei in die judicii rationem reddituros.

§. XXI.

Ut autem *κατήχησις*, norma & forma ipsa docendi, e-  
rat vel *rudior*, quæ complectebatur κεφαλαιώδες εἰσηγητάς,  
summa rudimentorum fidei capita, appellante Cyrillo Catech.  
IV. f. 26. C. εἰσηγητά μαθήματα, introductiones institutionum,  
f. 36. vel elaborator & plenior, quæ subtiliora fidei capita,  
Cyrillo Φωτεινότερος ἐνδέσπερος λειμών dicta, complecte-  
batur; ita habebat suos gradus, incipiens à paucioribus, fa-  
cilioribus & maximè necessariis, progrediens subinde ad plu-  
ra, difficiliora & sublimiora, donec Catechumeni capaces e-  
rant Sacramentorum suscipiendorum. *Initium* siebat à do-  
gmatibus αὐτοκαίσιος necessariis, uti vocat Cyrillus Catech.  
IV. f. 24. qualia recenset dogmata de Deo, Christo, ejusq[ue]ve  
generatione ex Virgine, Passione, Morte, Sepultura, Resurre-  
ctione, Ascensione & futuro Judicio; de Spiritu S. de Ani-  
ma, Corpore, Cibis & Resurrectione hominis, quæ dogma-  
ta summatim in Symbolo Apostolico comprehenduntur,  
exarato ex S. Scriptura, unde & hunc articulum inter do-  
gmata Catechetica refert. *Progressus* siebat ad sublimiora;  
quod patet ex Gregorii Nysseni Oratione M. Catechetica,  
T. III. f. 43. ubi tractat accuratius Articulum de Deo, in es-  
sentiâ Uno & Trino in personis; de Incarnatione Filii Dei;  
de Peccato & ejus poenâ, Morte; de Merito Christi; de at-  
tributis Divinis & humanis; de Redemptione hominis; de  
Libero ipsius Arbitrio; de Baptismo deniq[ue] & ejus effectu.  
Hos & similes Articulos recenset etiam Basilius, L. I. de Bapt.  
c. 1. f. 642. C. *Complementum* erant Catecheses mystagogicæ;  
quas vocat Cyrillus ὡρίς τὸς νεοφωνίσας ad recens-illumina-  
tōs, Catech. Mystag. I. f. 227. quarum quinque sunt; In pri-  
ma

ma explicantur Symbola Baptismalia, in secunda Baptismus ipse, in tertia Chrisma, in quarta Eucharistia, in quinta denique nova obedientia. In talibus qui erant exercitati, dicebantur *Epoptæ*, & describuntur à Dionysio Areop. Epist. IX. f. 798. B. Studiosi sanctitatis, utpote expediti ab omni puerili cogitatione in sacris Symbolis & qui acie mentis & ingenii facultate, ad Contemplandum idonea, veritatem simpliorem, & supra naturam Symbolorum collocatam assequi possunt. Neque verò subsistendum erit in vestibulo, sed ad intimiora etiam mysteria penetrandum, unde erat Catechesibus immorandum, ut solidè imbiberentur, & in succum & sanguinem convertentur, id quod est perseverantia. Παρεγέ-  
μένε τῆς κατηχήσεως, ἐάν πολλὰ παρετέμνεν λέγοντες  
perseveres in Catechesibus, etiamsi longo sermone producan-  
tur, ne forte aliquando mens tua deficiat, monitum est Cy-  
rilli, præfat. Catech. f. 15. B.

Tempus, quantum in hoc Tirocinio consumtum sit, va-  
riasse deprehendimus. Nam in Concilio Eliberitano, quod  
celebratum fuit anno Christi CCCIII. Can. XLII. sic defini-  
tum legitur: Eos, qui ad fidem primam credibilitatis accedunt,  
si bona fuerint conversationis, intra biennium placuit, ad  
Baptismi gratiam admitti debere, nisi, infirmitate compellente  
coegerit ratio vel ocios subveniri periclitanti, vel gratiam  
postulanti. At ex Concilio Bracarensi II. quod institutum  
est anno Christi DCLXXII. ejusque Can. placuit I. constat,  
tempus informationis Catechumenis impensum fuisse sal-  
tem spacium viginti dierum, intra quod omnes specialiter  
oportebat doceri Symbolum, quod est: Credo in Deum.  
Patrem omnipotentem &c. Binus verò in suis notis ad hunc  
ipsum Canonem, adhuc aliam designationem producit, in-  
quicens: Catechumenos oportebat fideli Symbolum discere: &  
quintâ feria ultima septimanae vel Episcopo vel Presbytero

B

red-



reddere, ex Concil. Laodic. c. XLVI. Hieronymus Epist. LXI.  
ad Pamphach. adversus errores Joh. Hierosolymitani c. IV.  
Consciendo (inquit) apud nos ejusmodi est, ut iis, qui bapti-  
zandi suut, per quadraginta dies publicè tradamus sanctam  
et adorandam Trinitatem.

§. XXIII.

Agite vero ex junioribus de ratione Catechizandi ju-  
dicia exquireremus, inter quos merito primum occupat lo-  
cum Megalander noster *Lutherus*, cuius Consilium, minori  
Catechismo præmissum, duplicem proponit scopum: Unum  
notitiam doctrinæ Christianæ, alterum vitam doctrinæ con-  
formem. Notitiae tres constituit gradus: primò enim ipsa  
capita doctrinæ Christianæ tam diu verbis iisdem vult pro-  
poni, donec auditores ea comprehendenterint memoria: id  
quod explorari possit examine. Deinde singularum parti-  
cularum explicationem brevem, qualis in minori Catechis-  
mo traditur; Tertiò denique uberiorem expositionem ex  
Scripturæ dictis & exemplis; qualis in majori Catechismo  
& alibi exster. In primis vero personarum, ad quas, & lo-  
corum, in quibus haec institutio & prædicatio suscipitur,  
rationem haberi vult, v. g. ut apud mercatores, russicos &  
plebeculam præcipue inculcetur septimum præceptum: apud  
teneram ætatem, imò etiam patres familias, & magistratum,  
urgeatur quartum, de obedientia parentibus debita, de edu-  
catione puerorum legitima, idque ut dictum est, exemplis &  
historiis confirmetur & illustretur. Vitæ Christianæ examen  
aliqvod in crebro Eucharistiæ usu legitimo synecdochice  
proponit, idque non sine causa, qui enim didicit ex lege, quorum  
& quam atrocium peccatorum sit reus, quam horribilibus  
poenis propter eadem sit obnoxius: ex Symbolo & Oratione  
Dominica, unde & quomodo ab his liber fiat, & quid ad fidei  
Confirmationem gratitudinemque Deo praestandam sit ne-  
cessarium; is facere non potest, quin libenter & sapienter utatur

Cœna



Cœna Domini, qvod qvi non facit, is eo ipso prodit, se nihil istorum intelligere aut credere, & proinde, nisi resipiscat, excommunicandum esse. Cum autem istud negotium in Synodo Dondracenâ toties citatâ ex instituto fuerit tractatum, qvorundam illius Theologorum monita & judicia colligere juvabit, v. g. *Theologi* maximè *Magnæ Britanice* monent, in sacro ejusmodi conventu certum qvendam esse debere τῷ κατηχείων numerum (duodenarium vel vicenarium) juxta vicorum domorumq; ordinem institutum, qvi paratus sit statis qvæstionibus Catecheticis respondere; Incertum autem iis esse debere, à qvibus ipsorum hoc respondendi pensum sit exigendum, ut ita omnes sint paratissimi; sàpè repetendam esse eandem qvæstionem, ut ita freqventi inculcatione memorie insigatur; singulas responsiones, qvàm possit planissimè, explicare debere Ministrum, &, ubi singulas qvasqve absolverit, rationem repetendam esse illicò à Catechumenis eorum qvæ dicta sunt, ut ita palam constet, num qvid explicata satis intellecta fuerint, nec ne? Qvod si ex ipsarum responsis constet de intelligentia, habere Ministrum, in quo acqiestat; sin minus, ad clariorem (si fieri potest) rei explicationem ac repetitionem comparare se debere. Singulis etiam responsis Confirmandis unicum aliquem Scripturæ locum maximè idoneum exigere, operæ pretium futurum; ut hanc Catechismi doctrinam in S. Scripturis fundatam intelligent Catechumeni. *Helvetii* inter alia hoc notant, qvod in suis Ecclesiis adornentur Catalogi, qvibus non tantum τῷ κατηχείων nomina, sed ætas etiam & profectus consignetur: ut aliorum qvidem provehatur industria commendationibus publicis, & nonnunqàm levidensioribus præmiis, aliorum verò negligentia vel commonefactione, vel autoritate Magistratus emenderur. *Theologi Palatini* suum judicium sic ordiuntur: Consultum videri, ut pueri & puellæ pietatis fundamenta in Scholis jaciant,

E 2

qvibus



q̄ibus eūm infinēm p̄ficiēdi s̄int Magistri, q̄i Cateche-  
tīca & ipsi rectē norint, & aliquam etiam facultatē habē-  
ant ea aliis tradēdi & explicādi. Sed & Pastores loci fre-  
q̄enter Scholas illas visitare oportere. Adultiorum autem,  
q̄i Scholas nūnq̄am visitarint, institutionē dīebus Do-  
minicis commōdissimē fieri posse cēsent in templis, idq;  
horis pomeridianis, ubi brevi Conciūcula Catecheticā ha-  
bitā; Pastor de suggestu descendere debeat, p̄tēlegere p̄r-  
sēntib⁹, tūm capita pietatis, tūm q̄uestiones ex Catechesi  
excerptas, summamq; Religionis continentēs, ac viva voce  
paucis ea explicare; & primō q̄idē verba dūntaxat capi-  
tūm pietatis & q̄uestionum, deinde verō sensum q̄uoq; ea-  
rūndem ab auditorib⁹ exigere. Genevenses ih suo iudicio  
Pastoribus auctōres sunt, ut aliquos ex suis domesticis libe-  
risve, vel ex liberaliorib⁹ sui gregis feligant, q̄os institu-  
tione privata ad publicē respondendum in templo com-  
parent, aliis sc̄ exemplifuturos. S̄vadent, ut in urbibus &  
pagis, q̄āntum fieri possit, abstineatūr perpetuā Catechismū  
oratoria explicationē, & erōtematis potius res peragatur,  
quibus elicatur intimus respondentis sensus, audientisq; ve-  
populi consensus: ut omnes à teneris addiscant sensus &  
conceptus veros & germanos de Deo & divinis in animo  
suo formare; tūm ritē atq; iādeō fidēter de illis loqui.  
Deniq; monent, ut ad̄vēscant Theologiae Studiosi cateche-  
tico officio, etiamq; ante publicam vocationem ad illud  
adhibeantur & exitentur. Ita ferē inter Reformatos de-  
ratione Catechizandi fuit iudicatum.

§. XXIV.

Quæ autem viā in decurrente isthōc studio Cateche-  
tico sit optima & convénientissimā, etiam inter Nostrates  
tot ferē sententiæ, q̄ot capitā sunt, & suum cuique pulcrum,  
sua cuiq; placeat Helena. Vulgo certam aliquam & perpe-  
tuam formam, q̄a à primis incunabulis ab omnibus ad vitæ  
audiūp

s. 3

finem.



finem usq; retineatur, ac sedulō, rudioribus præsertim, incul-  
cetur, reqvirunt; & talem qvidem, qvæ præcipua fidei Christi,  
anæ capita, cuivis Christiano scitu ac creditu necessaria bre-  
viter, perspicuè, verbisq; captui simpliciorum accommoda-  
tis, & ex Scriptura S. de promtis, ordine convenientissimo,  
proponat. Hanc formulam ut juventus integrè atq; ac-  
curatè ediscat, svadent, & sedulo caveri volunt, ne textum  
**Catechetorum capitum aliena verba**, (quæ quandoq; ine-  
ptum ac contrarium sensum gignunt) substituendo corrum-  
pat. Id enim si fiat, adultiores factos vix ac ne vix qvidem  
dedisere posse, quod primâ suâ pueritiâ malè didicerint. In  
eo enim Pastori acquiescendum esse negant, ut fidei elemen-  
ta memoriter recitare valeant, quin dandam operam, ut  
ritè intelligant, quæ enuncient. Id poscendum, ut adulti-  
ores præsertim aliis verbis reddant, quod in Catechismo  
proponitur, ab illis qværendum, quid verba sibi velint. Ut  
autem majori cum fructu negotium peragatur, Catalogos  
volunt adornari, quibus tam Catechumenorum nomina,  
quam ætas & profectus consignentur, ut aliorum quidem,  
(quod supra §. XXIII. Helvetiorum erat institutum,) prove-  
hatur industria commendationibus publicis, & nonnunquam  
præmiolis, aliorum verò negligentia, aut absentia commo-  
nefactione emendetur. Cœtum item *κανχεμένων* univer-  
sum non secus ac in Scholis fieri conservet, in certas quas-  
dam classes iuxta diversitatem profectuum distribuendum,  
& singulas Classes duplicandas, sejunctis in una eademque  
classe pueris, maribus ac fœmellis, & è regione ita collo-  
catis, ut uterq; ejusdem classis cœtus eandem Catechizatio-  
nem audire ac reddere queat. Id etiam cavent, ne mus-  
titando aut instar sacrorum Eleusiniorum habeatur Cate-  
chizatio, sed publicè & clarâ voce, in medio Ecclesiæ cœtu;  
ut ab omnibus exaudiri queat, ita enim profligato somno,  
qui in Concionibus pomeridianis Catecheticis plurimos fe-

rē occupare atq; opprimere solet, in perpetua quādam attentione auditores retentum, profundius quoq; adulorum animis doctrinam insinuatum iri. Deniq; in totā hāc Catechizandi ratione singulari judicio, pietate ac dexteritate opus est, ut ætates, ingenia & profectus Catechumenorum & auditorum doctrina attemperetur. Quod si negligatur, sine fructu erit omnis labor. Cui rei documento esse potest qvidam ex Angliâ in Scotiam reversus, apud Bedam, L. III. Histor. c. 5. sic enim cum quiritaretur, se in Anglia docendo nihil profecisse, quod Anglorum gens dura & barbara sit, nonnemo in Conventu seniorum dixisse fertur: forte non juxta præceptum Pauli infirmis lac primū præbūisti: Præterea familiariter ac blandè citra iracundiam morositatem, plagas aut verbera Catechumeni tractandi, patienterque ipsorum balbuties toleranda, etiamsi non exactè, plenè aut verbis usq; adeo propriis, elegantibus & comtis omnia reddent, ne videlicet confundantur, & nauseā, tædiō & odiō Catechizationum conceptō, eas declinent & fugiant.

#### §. XXV.

Ne autem quis *Occasionibus* destitutus videatur, & illas suppeditabimus, easq; tam ordinarias, quam extraordinarias, ubi in capitibus Religionis explorari possunt & debent juniores. *Ordinarias* appellamus, quæ definitis & statis temporibus recurrent, in quibus ejusmodi expeditiones exerceri solent & debent. Fiuntq; vel in communi cum omnibus, vel in particulari cum singulis. In communi diebus Dominicis, in qvibus Pastores in pagis, oppidis & civitatibus Catechismum prælegunt, populo explicant, horisq; pomeridianis præcipue repetunt; tūm hebdomadariis, v.g. die Veneris vel die Mercurii, pro cuiusvis loci consuetudine; nec non certis anni partibus, in vere & autumno, ut plurimū circa tempus Quadragesimale vel Michaëlis: In particulari cum singulis, quando (i) ad S. ouvagin primū accessuri sunt, ut

Pasto-



**Pastorem** prius convenientia explorandi ac plenius instruendi, ubi si una non sufficiat, repetita semel atq; iterum institutio privata rudioribus adhibebitur. Idem examen posset repeti, quoties (2) *Confessionem peccatorum privatam* coram sacerdote edunt, earumq; remissionem seu absoluti-  
nem petunt in templo, si per tempus liceret. (3) occasio vel maximè est, quando testes adhibentur Baptismo infan-  
tum, ad qvod munus nemo etiam adultus admittendus, ni-  
si qui Symbolū & Orationem Dominicam firmiter tenuerit,  
prout piè ac prudenter cautum legim⁹ Can. VII. Concil. Con-  
stantinopolit. VI, tum enim non tantum juniores, qui primâ  
vice susceptoris vices obeunt, sed etiam adulti, de qvorum  
imperitia nobis constat, accersendi & privatim de Sacra-  
mento Baptismi maximè & munere Susceptorum informan-  
di sunt, sicut Confiteentes de Clavibus & Sacramento Cœnæ  
maximè admonendi. (4) Quando ad Conjugium animum  
applicant, & parente vel tutoribus Comitati proclamationem  
petunt. Tunc enim si rudiores deprehenduntur Neogami  
in fundamento Christianæ fidei, omne tempus, à primâ pro-  
clamatione Ecclesiasticâ ad diem usque Nuptiarum, eorum  
informationi impendendum. Imò in τάξει nostrâ γαμικῆ no-  
titia Catechismi in tantum urgetur à Neogamis, ut illâ de-  
stituti etiam denunciatione publica privandi sint, prout ex-  
presso habetur punct. V. von der Copulation und Hochzeiten/  
§. Erstlich &c. Cæteri, qvi notitiâ quidem non omni carent, sed  
tamen ex parte rudiores sunt, & intra tempus proclamati-  
onis informandos se offerunt, etiamsi interjecto illo tempo-  
re ob ingenii stupiditatem ad speratam ac debitam frugem  
adduci neq; veant; hoc nomine à nuptiis & publicâ Conju-  
gii ipsorum coram facie Ecclesiæ benedictione & inaugura-  
tione diutius nobis prohibendi minimè videntur, ne videli-  
cer aliâ ex parte à satana tententur ἀλλὰ τὴν απεγκίσαν, (I. Cor.  
VII. 5.) nec dum hīc diabolo fenestram occludere molimur,  
illuc

illuc alia aperiatur. Interim talibus imperandum, ut Catechizationi in Ecclesia frequentius posthac intersint, si non ut Catechumeni, aut ut inter illos consistant, saltem ut auditores. Si enim rerum sacrorum omnino rudes & ignari matrimonio junguntur, quomodo illi officia debita mutuo praestare? quomodo liberos suos in timore Domini & via salutis instituere, adeoq; regnum Dei propagare? quomodo τὴν θλίψει τὴν σπεχή, (I. Cor. VII. 28.) i.e. cruci & ærumnis Conjugii sui rectè sese accommodare? aut fines ejus primarios & minus principales assequi poterunt. (5) si infantem quisquam baptizari expetit, tūm enim non minus Patres ac illi, qui ad infantem suscipiendum vocantur de Baptismo, rectâ educatione liberorum, & id genus aliis ex Catechismo commonefieri atq; informari queunt. Extra Ordinem Catechizationis occasiones se offerunt, cum Minister verbi vel ad ægrotos aliosq; miseriâ afflictos, ut sunt tentati, captivi, incarcерati &c. visitandos consolandosq; accersitur, vel si quando casu, ut loquimur, in agris aut peregrè cum suorum auditorum aliquo, ambulet, aut aliâ loco ad examinandum non incommodo in eum incidit.

S. XXVI.

Nos לְפָנֵינוּ עַנִּיוֹת רַעֲנָן non audemus cuiquam præscribere modum, sed cujasq; arbitrio relinquimus optimam quamque rationem seligere. Interim ad finem properamus, ubi verbo attigerimus duos Catechizationis actus, qvorum prior Institutione, posterior Repetitione absolvitur, de quibus specialia præcipere aut monere nihil attinet, cum ex hactenus dictis facile estimari queant. Plura qui de hoc themate discipit, adire potest ex Reformatis præter Gisb. Voëtium, in Politic. Eccles. Hyperium, Part. I. Opusc. Theologic. p. 493. Zepperum, in Polit. Eccles. L. II. c. X. p. 441. Oliver Bowles in Postor. Evang. L. II. c. 5. Ex Nostris Tarnovium de Minist. Eccles. L. II. c. III. q. 2. p. 444. Hartmannum in Past. Evang. L. III. c. IV. p. 316. sqq. Ex instituto autem egit de modo Catechizandi peculiari Tractatu Amstelod. A. o. 1662. edito Fridericus Breckting. Autor, qui de hac Catechizandi ratione, quomodo cum fructu instituenda sit, omnino legi meretur.

S. D. G.





AKT/3196

1077

nc



Q. K.  
4152.

# CAT TION

## ExAntiqu

*Summè Rever*

DN. MIC  
S. THEO  
LEBERR

*In*  
*Ad Diem III. M*

M. JOHA



Literis CH

